Smithio.

Amplissime ac doctissime Vir,

Vesperâ nuper illâ, quæ mihi supremum tempus in Urbe fuit, tanta me cupido incessit lustrandæ speculæ, quam τῇ ἀκροπόλει vestræ impositam narrabas, vel imponi, ut solis famulis comitatus, prævio lumine debilis laternulæ in eum locum perreptaverim, quem nemo annis ante me nisi Phœbo teste adeundum duxit. quando autem flammulæ quam gestabamus activitatis, ut ajunt, sphæra summam fabricam nequiit illustrare, habebis hactenus me errorum Architectonicorum non rigidum censorem: quanquam et à cordatis intellexi, non nihil ibi commissum esse, quod Vitruvio stomachum moveret. In transcursu displicuit inscriptum barbaro ~~illud~~ semper utique ~~tritum~~ ~~nomen~~ Belvedere. neque animo satis æquo pertuli advenam ejus rei moneri, quam nisi oculis et judicio careat, nescire nequeat: Locus deinde Epigrammati relictus commovit Poetæ venam, et impetum, ecce, cœpi, aliquid eò conferendi. quod cum, per negotia, nuper demum conficere valuerim, serius sic transmitto; securus utique de periculo moræ. Nam neque immemor ejus sum quod referebas de Barlæo ad hanc rem invitando, neque tam cæcutiens mei arbiter, ut quidquam ab hoc calamo dignum proficisci existimem, quod cum saxis aut lateribus perennet. Propositum fuit Principi Batavorum oppido, cujus tu gloriam tot invictis argumentis asseruisti, Batavâ manu, animi addictissimi affectum probare, quod in chartâ æquè ac in pariete præstari potest. An profecerimus, tu judicabis. Vale vir amicissime et me ama. Hagæ Com: IV. Cal: Anni CIƆIƆCXLVII. quem prosperum et felicem precor.

In schedulâ seorsim:

Cum penè has obseranti super ~~venisset~~
Amplissimus Oppidi Batavorum Syndicus,
oppidò tuæ² Batavicæ factum eum dixi, si
in reditum ejus differrentur, posse enim ab illâ manu
gratiam accedere nugis, suo merito non gratiosis.
Ricos a te Centones habeo admirabundus inspexi, neque tuæ sortis
aut ætatis videtur in tam elegantes et rotundos usus expromere,
quorum fortassis a triviali studio, memoriam
~~non~~ seriò non recolueris.

Lotio.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 142r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4507